

XVII

AD MAECENATEM

Strophe Alcaica

Cūr mē querellīs exanimās tuīs ?
Nec dīs amīcum est, nec mihi, tē prius
Obīre, Maecēnās, meārum
Grande decus columenque rērum.

Āh ! tē meae sī partem animae rapit
Mātūrior vīs, quid moror altera,
Nec cārus aequē, nec superstes
Integer ? Ille diēs utramque

Dūcet ruīnam : nōn ego perfidum
Dixī sacrāmentum : ībimus, ībimus,
Vtcumque praecēdēs, suprēmum
Carpere iter comitēs parātī.

Mē nec Chimaerae spīritus īgneae,
Nec, sī resurgat centimanus Gyās,
Dīvellet umquam : sīc potentī
Iūstitiae placitumque Parcīs.

Seu Lībra, seu mē Scorpius aspicit
Formīdolōsus, pars violentior
Nātālis hōrae, seu tyrannus
Hesperiae Capricornus undae :

Vtrumque nostrum incrēdibilī modō
Cōnsentit astrum ; tē Iovis impiō
Tūtēla Sātūrnō refulgēns
Ēripuit, volucrisque Fātī

Tardāvit ālās, cum populus frequēns
Laetum theātrīs ter crepuit sonum :
Mē truncus illāpsus cerebrō,
Sustulerat, nisi Faunus ictum

Dextrā levāsset, Mercuriālium
Cūstōs virōrum. Reddere victimās
Aedemque vōtīvam mementō :
Nōs humilem feriēmus agnam.